



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

De Virtvtvm Adeptione, Siue De Instrvmentis Assequendæ Virtvtis libellus R. P. Iacobi Alvarez De Paz Toletani è Societate Iesv

Álvarez de Paz, Jacobo

Coloniae Agrippinae, 1615

Cap. II. De multiplici Virtvte, Theologica, & Morali; infusa, & acquisita: ac
de varijs ipsarum gradibus.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-46634](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-46634)

milem faciet. Nam sicut Dominus ore suo iustos approbat, & iniquos reprobat, ita & hic virtutem à vitio discernens, bonum laudat, vitiumque condemnat. Quòd si notio virtutis, primum instrumentum acquirendę virtutis est, nostri instituti putamus, breuem aliquam singularum virtutum cognitionem tradere, qua lector, quid quęque virtus sit, & quas actiones habeat, patenter intelligat. Et hoc ipsum est, modum ac rationem huius instrumenti exercendi tradere, virtutum naturas breuiter dilucideque tractare.

DE MULTIPlici VIRTUTE Theologica, & Morali, infusa, & acquisita: Ac de varijs ipsarum gradibus.

CAPVT II.

MULTIPLEX est apud Theologos partitio virtutis, à nostro instituto prorsus aliena, ideoque à nobis omittenda; & duplex tantum, quę ad hoc opus attinet, explicanda. Est ergo
prima

prima

20 DE VIRTVT. THEOLOG.

prima partitio virtutis, qua diuiditur in *Theologicam* & *Moralem*. Virtus Theologica est, quæ (vt scholæ more loquamur) Deum habet pro immediato obiecto. Vel est illa, quæ primò & per se respicit Deum, & si alia respicit, est tantùm in ordine ad Deum, & quatenus induunt aliquam (vt ita dicam) rationem Dei. Talis, exempli gratia, est Fides, quæ credit Deum ipsum primò atque immediate, & credit Deo dicenti: & si alia credit, est quia reuelata à Deo, & in ordine ad cognoscendum Deum, & seruiendum Deo. Virtus Moralis est, cuius obiectum est aliquid creatum, ad honestam vitam traducendam pertinens. Vt iustitia versatur circa ius, quod vnicuique tribuendum est; religio circa cultum Dei, & sic de reliquis.

Virtutes Theologicæ sunt tres, *Fides*, *Spes*, *Charitas*. Fides respicit Deum, vt veracem: Spes respicit Deum, vt beatitudinem à nobis obtinendam: Charitas respicit Deum, tanquam summum bonum propter se di-

se diligibile. De his inquit Aposto-
 lus: *Nunc autem manent fides, spes,* 1. Cor. 13.
charitas, tria hæc: maior autem horum 13.
est charitas. Et Augustinus: *Tria hæc* August. 1.
sunt, quibus & scientia omnis & pro- de doctr.
pheta militat, fides, spes, charitas. Et Christ.
 Bernardus: *Sed sciendum est, quod* c. 37.
quædam summa virtutes sunt, spes, fi- Bern. de
des, charitas. Nam à quibus habentur, ordine
vtique veraciter habentur. Et tandem
 Gregorius tribus filiabus Iob putat
 has virtutes fuisse signatas. Sic enim
 ait: *Septem filij nobis nascuntur, cum* Gregor. 1.
per conceptionem bona cogitationis, mor. c. 18.
sancti Spiritus septem in nobis virtu-
tes oriuntur. Hanc namque internam
prolem Propheta dinumerat, cum spi-
ritus mentem fœcundat, dicens: Re- Isa. 11. 32.
quiescet super eum spiritus Domini,
spiritus sapientia, & intellectus; spiri-
tus consilij, & fortitudinis. spiritus sci-
entia, & pietatis, & replebit eum spi-
ritus timoris Domini. Cum ergo per
aduentum Spiritus sancti, sapientia,
intellectus, consilia, fortitudo, scien-
tia, pietas, ac timor Domini in animo
unicuique nostrum gignitur: quasi
man-

mansura posteritas in mente propagatur, quæ supernæ nostræ nobilitatis genus eò ad vitam longiùs seruat, quò amori æternitatis sociat. Sed habent in nobis septem filij, tres proculdubio sorores suas, quia quidquid virile hi virtutum sensus faciunt, spei, fidei, charitatisque coniungunt. Sic ille.

Virtutes Morales præcipuæ sunt quatuor; Prudentia, Iustitia, Fortitudo, Temperantia. Hæ vocantur cardinales, id est, principales: quoniam inter omnes virtutes, ad humanam vitæ honestatem pertinentes, præcipuum locum habent: suntque velut cardines, in quibus honestas omnis nostra reuoluitur. Has scriptura sacra foetus vocat diuinæ sapientiæ: *Sobrietatem, inquit, & prudentiam docet, & iustitiam, & virtutem, id est, fortitudinem, quibus vtilius nihil est in vita hominibus. Et secundum Gregorium, in quatuor angulis domus sancti Iob, & in quatuor fluuijs Paradisi, figuratæ sunt. In quatuor, inquit, angulis domus ista consistit: quia nimirum solidum mentis nostræ*

Sap. 8. 7.

*Gregor. 2.
moral.
c. 27.*

tuor fluuijs Paradisi, figuratæ sunt. In quatuor, inquit, angulis domus ista consistit: quia nimirum solidum mentis nostræ

nostra edificium, prudentia, temperantia, fortitudo, iustitia sustinet. In quatuor ergo angulis domus ista subsistit, quia in his quatuor virtutibus tota boni operis structura consurgit. Vnde & quatuor Paradisi flumina terram irrigant; quia dum his quatuor virtutibus cor infunditur, ab omni desiderio carnalium aestu temperatur. Ad idē pertinet quod ait Ambr. has easdem virtutes quatuor capitibus siue initijs horum fluuiorum designari. Ex hac, inquit, anima que culta est, Ambros. non ex ea que inculta, fons iste procedit vt irriget Paradisum, hoc est, quædam diuersarū fruteta virtutum, quarum sunt quatuor initia, in quæ sapientia ista diuiditur. Quæ sunt quatuor initia virtutum, nisi vnum prudentia, aliud temperantia, tertiū fortitudinis, quartum iustitiæ? Quæ etiam sapientes huius mūdi ex nostris assumpta, in suorum scripta librorum transtulerunt. Hæc ille. Qui & postea latissimè & eloquentissimè qualitates illorum quatuor fluminum ad virtutes applicat, & quæ quoque significetur, aptè

aptè

3.Reg.7.
2.

Rubro.
com.in
taber.
foederis
c.7.

Ibid. c. 5.

aptè designat. Lyranus etiam per illa quatuor deambulatoria inter columnas cedrinas, quæ fecit Salomon in domo saltus Libani, easdem quatuor virtutes per tropologiam signatas esse autumat: in his enim verus Salomon, Christus, deambulat, & apud iustas animas lætitiâ captat. Illuminatissimus tandem Ioannes Rubrochius quatuor altaris cornibus, & quatuor coloribus Tentorii, quod erat in Tabernaculo foederis; dicit quatuor has virtutes significari. De primo sic ait: *Isthac cornua quatuor, haud absurdè quatuor designant virtutes cardinales, vtpote quod vnitati nostræ singularem quendam conferunt ornatum ac decorem, dum per eas, & foris virtutum actionibus incumbimus, eademque introrsum nos, ceu cardines, mouent, & robur ac firmitatem præstant insuperabilem vbi per eas intrò nos recipimus, ac possidemus cordis vnitatem.* De secundo verò sic ait: *In introitu verò atrij, id est, vitæ virtutibus deditæ, seu virtutum studiosæ, tentorium hoc, vel cortina viginti*

ginti cubitorum in lōgitudine, & quin-
que in altitudine, ex hyacintho fuit, &
purpura, coccoq; bis tincto, & bysso re-
torta opere plumarij: vbi cū sint qua-
tuor colorum genera, quatuor nobis re-
ferunt virtutes principales, in quibus
moralis omnis consistit exercitatio. Per
hyacinthum, cuius est color instar vio-
lae, seu cœli sereni, discretionis seu mo-
derationis virtutē accipimus: qua vim
exornat rationalem, edocetq; distinctē
in omnibus hominem, vti ca aut agen-
da sint, aut omittēda. Per purpurā, qua
est coloris rubri, concharum sanguine
tincta, fortitudinis est expressa virtus in
vi irascibili, vtpote qua proprium na-
tura extinguit ac superat sanguinem,
dum sese exercet homo, non pro natura
appetitione vt affectu, vel propensione,
sed rationis, seu discretionis, ac mode-
rationis suasu, consilioq; in qua oblu-
tatione mores eius proprio illius san-
guine tinguntur, & exornantur. Coccus
autem bis tinctus, qui itidem est coloris
rubicundi, ex vermiculorum sanguine
confecti, condolentia, seu compassionis,
ac commiserationis virtutem significat,
B quam

quam geminam seu duplicem esse oportet, eod quod vim implere habeat concupiscibilem quo vnusquilibet ex vera condoletia, & sui ipsius miseria, & cuiuslibet ceterorum, sitq; ac praestet tū alijs quidquid potest, & ratio dicat; tumēt sibi ipsi in eodē amoris gradu. Sic planē aquū esset, nostranos ex commiseratione, seu cōpassione dispertire, seu disseccare, atque conterere, seu lacerare corda ac proprio insicere, & tingere cruore, .i. vsque ad eodē & nobis ipsis & proximis virtutes, & vitam cupere, atque ardentē optare, ac desiderare rectē institutā, ac benē compositam, ac ordinatam, vt vbi diuersū seu cōtrariū perciperemus, ipse ad eodē sanguis noster non alteraretur modo, sed et imminueretur. Deniq; byssus retorta, quae est instar niuis, candidi nitidiq; coloris, synceram ac minimē fictam designat innocentiam, id est, internam cordis puritatē, & externam sensuū, cunctarumq; actionum, vel operum munditiem atq; candorē. Haec ten' ille. Secunda partitio virtutis est, qua eam distribuimus in virtutem infusam, & virtutem acquisitam. Virtus infusa

infusa est, quæ cum sit supra naturam nostram, per actus nostros non efficitur, sed ex Dei dono & per eius infusionem habetur. Virtus verò acquisita est, quæ cum respiciat finem consentaneum humanæ rationi, & nihil amplius, studiosis actibus à nobis elicitis generatur. Hanc solum cognoverunt Philosophi, illam verò, quæ propria est fidelium, Theologi à Deo docti & illuminati tradiderunt.

Virtutes infusæ præcipuæ sunt tres illæ, quas Theologicas diximus, quæ nos Deo, non solum ut auctori naturæ, sed ut rerum supernaturalium auctori cõiungunt. Sunt et omnes virtutes morales quas Deus, ultra habitum virtutum moralium acquisitos, nobis donat, ut pedisse quas charitatis, quibus anima deceter ornatur, & ad omnia munia spiritualis vitæ habilis redditur. Vnde in iustis qui se in virtutibus exercuerunt, duplex est virtus iustitiæ, altera infusa, altera acquisita; & quod de iustitia dicimus, de alijs omnibus virtutibus moralibus dictum intelligamus. Has autem virtutes morales infusas, præter acquisitas esse

B 2 admit-

- admittendas, Theologi ex scripturis
& Patribus verifimiliter colligunt.
Paulus enim Galatis scribens, de Deo
Gal 3.5. ait: *Qui tribuit vobis spiritum, & ope-*
ratur virtutes in vobis: quod licet de
virtutibus miraculorum dictum sit,
non incongruè de moralibus virtuti-
bus intelligitur. Et ad Colossenses:
Col. 1.9. *Non cessamus orare pro vobis, vtambu-*
10.11. *letis dignè, Deo per omnia placentes, in*
omni opere bono fructificantes, & cres-
centes in scientia Dei in omni virtute.
Ut in libro Sapientiæ: *Venerunt mihi*
Sap. 7. *omnia bona pariter cum illa.* Hæc & a-
11. *lia similia, non ineptè ad virtutes in-*
fusas accommodata sunt. Ad idè ad-
ducitur Ambrosius, qui ait: Tibi ergò
Amb.6. *attende, & teipsum scito, hoc est, non*
exam.6. *quales lacertos habeas, non quantam*
7. *corporis fortitudinem, non quãtas pas-*
siones, quantam potentiam, sed qualem
animam ac mentem, vnde omnia con-
silia proficiscuntur, ad quam operum
tuorum fructus refertur. Illa est enim
plena sapientiæ, plena pietatis atque
iustitiæ, quoniã omnis virtus à Deo est.
Cui dicit Deus: Ecce ego Ierusalè pinxi
muros

muros tuos; illa anima à Deo pingitur,
 quæ habet in se virtutū gratiam renitē-
 tem, splendoremq; pietatis. Illa anima
 benè picta est, in qua elucet diuina ope-
 rationis effigies. Illa anima benè picta
 est, in qua est splendor gloriæ, & pater-
 næ imago substātiæ. Hieronymus quo- Hic præf.
 que dum præfatur ad lamentationes in Thre-
 Ieremiæ ait: Hæc lamentatio, quam nos.
 nos deflemus, tanto illa durior & ama-
 rior esse probatur, quanto veriùs cuncta
 hæc & euidentiùs in fideli anima, quàm
 intra illius templi parietes erant. Hoc
 sanctius multo fuit, quod in ea erat tē-
 plum. Non enim auri & argenti metal-
 lo, sed virtutibus animi radiabat. Ha-
 bebat enim arcam intra se & duos Che-
 rubim, id est, fidem Patris, & Filij, &
 Spiritus sancti sitam. Sed nūc nihil eo-
 rum apparet. Ablata sunt hæc cuncta,
 nudata est domus Dei omnibus ornāmē-
 tis suis, cunctisq; quæ diuinitus consecu-
 ta fuerat, spoliata muneribus. Et Gre- Greg.
 gorius inquit de Spiritu sancto: In Hom. 1.
 sanctorū cordibus iuxta quasdam vir- in Eze.
 tutes semper permanet, iuxta quasdam
 verò recessurus venit, & venturus rece-

30 DE VIRTVT. THEOL.

dit. His testimonijs ac præcipuè vna-
nimi scholasticorum Theologorum
consensu & ratione quam statim di-
cemus, stabilitur virtutum morali-
um infusarum auctoritas.

Virtutes acquiretæ sunt quatuor iã
dictæ, quas cardinales vocauimus, &
aliæ quas infra vt eis annexas refere-
mus, quatenus actionibus nostris ac-
quiruntur. Distinctionem autem vir-
tutum infusarum, & acquiritarum,
vt iustitiæ infusæ, & acquiretæ,
& simul rationem, virtutes in-
fusas statuentem, accipe, quæ ex
Thoma Aquinate manifestè colligi-
tur. Nam fidelis homo ciuis est dua-
rum ciuitatum, & ad duas republi-
cas pertinet, nimirum ad humanam
ciuitatem, quatenus est homo ratio-
nis capax, qui recta ratione regitur,
& ad ciuitatem cælestem, quatenus
est pars Ecclesiæ, ciuis Sanctorum, &
domesticus Dei, qui diuinis legibus
gubernatur. Ob duos ergò fines præ-
cipuos potest quamlibet actionē vir-
tutis præstare: aut propter finem rei-
publicæ humanæ, qui non est alius,
quàm

D. Thom.
2. 2. q. 63.
art. 4.

quàm conformitas ad rationis regulam, & virtutis honestas: aut propter finem reipublicæ spiritualis, ordinatæ ad supernaturalem foelicitatē, qui est cōformitas ad leges supernaturales, & diuinas, & honestas, quæ elucet in faciendâ voluntate Dei. Actiones autem, quæ diuersos fines respiciunt, diuersæ sunt secundum naturā suam, & finibus suis proportionatæ, & conuenientes sibi habitus deposcētes, ex quibus orientur. Vnde cū abstinere à cibis, quod est tēperatiæ: aut pericula tolerare, quod est fortitudinis: aut ius vnicuique tribuere, quod est iustitiæ: aut mediū in omnibus quærere, quod est prudentiæ: fieri possit, vt conueniens vitæ rationali, vel vt conueniens vitæ spirituali: vt ordinatum ad honestatem virtutis, vel vt ad foelicitatem æternam assequendam: infertur, duas esse actiones abstinentiæ, aut cuiuscunque moralis virtutis, similes quidem substantia sed dissimiles sine, duoque principia deposcere, quorum alterum operatur propter humanam

honestatem, & constituit virtutem
 acquisitam, quam actus nostræ natu-
 ræ congruentes generabunt: alterū
 verò operatur propter honestatem
 supra naturam, & constituit virtutē
 infusam, quam non industria nostra
 gignit, sed Deus in nobis, sine nobis
 infundit. Hæc satis sunt ad declaran-
 dum in generali naturam virtutū in-
 fusarum, & acquisitarum, quæ easdē
 habent actiones, si substantiam actu-
 um consideremus, distinctos tamen
 fines, quorum causa magnum inter se
 discrimen admittunt. Nec ista cog-
 noscere, spirituali viro est inutile,
 immò maximè necessarium, tum ut
 naturas virtutum intelligat, tum ut
 in operibus studiosis præstantissimū
 fructum quærat, & sic amplius in omni
 perfectione proficiat. Alias autē sub-
 tilitates, ad generationem virtutum
 pertinentes, meritò reticemus, quia
 ad honestam, & spiritualem vitam
 traducendam, & ad ipsas virtutes cō-
 parandas, minimè necessarias repu-
 tamus.

Iam ad gradus virtutis explican-
 dos

dos veniendum est; Et quidem virtus generaliter sumpta quatuor gradibus comprehenditur. Primus est, quo operibus studiosis insistimus propter virtutis pulchritudinem & honestatem. Et hoc gradu continentur omnes virtutes morales acquisitæ, quibus antiqui Philosophi studuerunt. Secundus est, quo operamur bonum propter Deum finem nostrum supernaturaliter cognitum. Atque in isto gradu sunt omnes virtutes morales infusæ, quæ in præstantiorem finem tendunt, & sunt propriæ fidelium, & iustorum, quibus lux supernaturalis affulsit. Tertius est, quo operamur bonum, non solum propter Deum sed etiam circa Deum, quem actibus, virtutis attingimus. Ad hunc autem gradum pertinent virtutes Theologicæ, quibus Deum & supernaturalia credimus: Deum æternaque speramus: Deum, & nos, ac proximos, propter Deum ipsum, diligimus. Quartus est, quo officia virtutis obimus, non tantum propter Deum, sed modo quodam diuino, quæ iusti & ma-

ximè perfecti nōnunquā experiūtur. Et ad hunc gradum spectant oēs virtutes infusæ, tã Theologicæ quã morales, vt septem Spiritus sancti donis adiutæ, de quib. donis alio loco, nēpe dum de cōtemplatione, Deo votis nostris annuēte, agemus, vberius disputabimus.

Hi sunt gradus, quibus omnis virtus cōprehenditur. At in quacunq; virtute speciali gradus assignare difficillimū est: quod agnouit & testatus est

Greg. 22. Gregorius, sic scribens: Hos autē vir-
mor. c. 14. tutum gradus non magni laboris est,
prendere, cū ab vna ad alterā transitur.
Sed subtilissima disputatione res indi-
diget, cum mens pensare nititur in vna
eademque virtute, quib. profectus sui
gradibus eleuetur. Vt. n. prima elemēta
virtutum. fidē sc. & sapiētiam; loquar,
obtineri singula perfectē nequeunt, nisi
ad hac distinctis ordinatisque modis,
quasi quibusdā gradibus, ascendamus.
Ipsa enim fides, quæ ad bona alia capes-
senda nos imbuit, plerumq; in exordijs
suis & nutat, & solida est, & iam cer-
tissimè habetur; & tamē de eius fiducia
adhuc.

adhuc sub dubitatione trepidatur. Pars
 namque eius prius accipitur, vt in no-
 bis postmodum perfectè compleatur. Si
 enim certo gradu in credendis mente nō
 proficeret, requisitus in Euangelio pater
 sanandi pueri, non dixisset: Credo Do- Marc. 9
 mine, adiuua incredulitatem meā. Ad- 23.
 huc ergo ascendebat ad fidem, quā iam
 perceperat, qui vno eodemque tempore
 clamabat, se & iam credere, & adhuc
 ex incredulitate dubitare. Hinc est et- Luc. 17. 5.
 iam quod Redemptori nostro à discipu-
 lis dicitur: Auge nobis fidem: vt que iam
 accepta per initium fuerat, quasi per
 augmenta graduum ad perfectionem
 veniret. Ipsa quoque sapientia, que
 esse bonorum operum solet magistra,
 anhelanti menti per incrementa tribu-
 itur: vt ad eam procul dubio magni
 moderaminis gradibus ascendatur.

At licet hoc ita sit, quod non est fa-
 cilè in vnaquaque virtute gradus in-
 uenire: Sed tentabimus, aliorum
 vestigijs inherētes, tribus modis gra-
 dus cuiusq; virtutis assignare Primus
 modus consideratur ex incremento
 perfectionis, quod bonus actus potest:

B. 6. suscipere;

fufcipere, & fic tres fūt grad^o in qualibet virtute. Primus eft, cūm actiones virtutis, verbi gratia, manfuetudinis, tempore tranquillitatis vtcūque præftamus. Secundus eft, vt cum tentationibus & moleftijs impediti, eas toleramus, & fortiter refiftentes in coepta virtute perfiftimus. Tertius eft, cūm tentationis & laboris tempore, non folūm perfeueranter, fed etiam delectabiliter virtutis actiones exercemus.

Secundus modus confideratur ex varijs ftatibus vitæ fpiritualis & gradibus fpiritualium virorum. Secundūm quam confiderationē tres funt etiam gradus cuiusque virtutis. Primus eft, initium virtutis, quod reperitur in incipientibus. Et in hoc gradu virtus cum difficultate operatur, aliquando faltem in leuibus à contrario profternitur, & magis actibus exterioribus, quam interioribus pascitur. Secundus eft profectus virtutis, & refidet in proficientibus. In quo gradu virtus facilius præcedit, vehementius & frequentiùs refiftit,
& ex

& ex exterioribus ad interiora confurgit. Tertius est, perfectio virtutis, qui pertinet ad perfectos. Atque in isto gradu, virtus sine vlla difficultate, saltem intrinseca, à vitijs aut passionibus inordinatis procedente, operatur, nunquam (si statum perfectionis inspiciamus) aut leuissimè vincitur, & cum summa tranquillitate & voluptate actibus studiosis distinctetur.

Tertius modus, ad eosdem status, vel ad partes vitæ spiritualis, potest referri. Et sic quatuor sunt gradus cuiuslibet virtutis, secundùm quos virtutes dicuntur politicæ, purgatoriae, purgati animi, & exemplares. Quorum tres primi, in virtutibus hominum possunt inueniri, quartus verò ad Deum pertinet, omnium virtutum authorem. Oportet enim, vt inquit Augustinus, *quòd anime aliquid sequatur, ad hoc vt ei possit virtus in- nasci: & hoc Deus est, quem si sequimur, benè viuimus. Vnde prouenit, vt in Deo sint exemplaria humanarum virtutum, & hæc exemplaria, virtutes e-*

August.
lib. de mo-
rib. Ec-
cl. c. 6.
Tom. 1.

Plotin.
Ennea-
de 1. l. 2.
ar. c. 3.
Macro.
li. in so-
mniū
Scipion.
cap. 8.
D. Thom.
1. 2 q. 61.
art. 5.

xemplares sunt appellata. Hanc virtutum seu graduum cuiuscunque virtutis partitionem, Plotinus Philosophus Platonicus ex doctrina Platonis latissimè differuit, & Macrobius elegantissimè in compendium rededit : & Diuus Thomas Aquinas subtilissimè & verissimè declarauit. Sed iucundum erit, hos virtutis gradus verbis Macrobij explicatos audire. Ille sic ait : *Quatuor sunt quaternarum genera virtutum. Ex his prima politica vocantur, secunda purgatoria, tertia animi iam purgati, quarta exemplares. Et sunt politica, hominis, quia sociale animal est. His boni viri reipublice consulunt, vrbes tuentur: his parentes venerantur; liberos amant, proximos diligunt: his ciuium salutem gubernant: his socios circumspecta providentia protogunt; iusta liberalitate deuinciunt: hisque sui memores alios fecere merendo. Et est politica prudentia ad rationis normam, quae cogitat, quaeque agit, vniuersa dirigere, ac nihil prater rectum velle vel facere; humanisque actibus, tanquam diuinis arbitris.*

bitris prouidere. Prudentia, insunt ratio, intellectus, circumspectio, prouidentia, docilitas, cautio. Fortitudinis est, animum supra periculi metum agere, nihilque, nisi turpia, timere: tolerare fortiter vel aduersa vel prospera. Fortitudo praestat magnanimitatem, fiduciam, securitatem, magnificentiam, constantiam, tolerantiam, firmitatem. Temperantiae, nihil appetere poenitendum, in nullo legem moderationis excedere, sub iugum rationis cupiditatem domare. Temperantiam sequuntur, modestia, verecundia, abstinentia, castitas, honestas, moderatio, parcitas, sobrietas, pudicitia. Iustitia, seruare unicuique quod suum est. De iustitia veniunt, innocentia, amicitia, concordia, pietas, religio, affectus, humanitas. His virtutibus, vir bonus primum sui, atque inde reipublicae rector efficitur, iuste ac prouidè gubernans humana, diuina non deserens. Secundae, quas purgatorias, vocant, hominis sunt, qui diuini capax est, solum.

solum.

solumque animum eius expediunt, qui decreuit se à corporis contagione purgare; & quadam humanorum fuga solis se inferere diuinis. Hæ sunt otiosorū (id est contemplatiuorum) qui à rerum publicarum actibus se sequestrant. Quod, quando non instat necessitas, vitium non est. *Otium enim sanctum querit charitas veritatis*, inquit Augustinus, *negotium iustum suscipit necessitas charitatis*. Harum quid singulæ velint, superius expressimus, cum de virtutibus philosophantium diceremus, quas solas quidam existimarunt esse virtutes. Tertiæ sunt purgati iam defœcati que animi, & ab omni mundi huius aspergine pressè pureque deterfi. Illic prudentiæ est, diuina non quasi in electione præferre, sed sola nosse: & hæc, tanquam nihil sit aliud, intueri. Temperantiæ, terrenas cupiditates non reprimere, sed penitus oliuisci, (quoad inordinatos scilicet motus.) Fortitudinis, passiones ignorare, nō vincere, vt nesciat iras i, cupiat nihil. Iustitiæ, ita cum superna & di-

uina

Aug. 19.
de ciuit.
cap. 19.

uina mente sociari, vt seruet perpetuum cum ea foedus, imitatio. Quarta, exemplares sunt, quæ in ipsa diuina mente consistunt, quã diximus vñ, vocari: à quarum exēplo reliquæ omnes per ordinem defluunt. Nam si rerum aliarum, multò magis virtutum ideas esse in mente, credendum est. Illic prudentia est, mens ipsa diuina: Temperantia: quòd in se perpetua intentione conuersa est: Fortitudo; quod semper idem est, nec aliquando mutatur: Iustitia, quod perenni lege à sempiterna operis sui continuatione non flectitur. Hæc sunt quaternarum quatuor genera virtutum, quæ præter cætera maximam in passionibus habent differentiam sui. Passiones autem (vt scimus) vocantur, quod homines metuunt, cupiuntque; dolent, gaudentque. Has primæ molliunt, secundæ, quo ad visitationem, auferunt, tertiæ obliuiscuntur, in quartis nefas est nominari. Hæc omnia Macrobius, præter paucula quædam verba, quæ ad eius expositionē ipsius dictis inserta, & virgulis conclusa

clusa

clusa, à nobis adiecta sunt. Quæ consultò retulimus, vt quid philosophia de virtutum perfectione assequuta fuerit, & legamus, & admiremur. Nec in sola administratione sistendū est, sed ex tota mente lætandum, quòd, quàm illi Philosophi perfectionem mente conceperunt, nunquam tamen habuerunt, in nostris, non dico philosophis aut sapientibus, sed in rudibus & idiotis, qui perfectionem sitiunt, habeamus. Sonet Christus in dictis huius sapientis, adde illis gloriam Dei, ex virtute quæsitam, & nihil aliud de sublimitate virtutis, quàm quod ipse dixit

Amb. l. de ex ore Augustini, aut Bernardi, aut parad. c. 3. Cassiani, poteris sperare. Quare adducor ad credendū cū Ambrosio, quòd sicut sapientes huius mundi notionē quatuor Cardinaliū virtutum ex nostris acceperūt, ita & gradus earū, & has virtutes purgati animi, non ex alijs quā ex fideiū scriptis vsurparūt.

Habemus ergo iam septē virtutes, tres Theologicas, *Fidem, Spem, Charitatem*; & quatuor morales, *Prudentiam*

dentiam, Iustitiam, Fortitudinē, Tēpe-
rantiā. His annectuntur aliqua dona
 Dei, & omnes aliæ virtutes, quæ vo-
 cantur partes aut comites earū, quia
 aliqua ratione ipsarum vim & natu-
 rā participāt. Quare Gregorius post-
 quam dixit per quatuor angulos do-
 mus sancti Iob, quatuor cardinales
 virtutes fuisse signatas, subdit: *Intra*
hos quatuor domus angulos, filij conui-
uantur, quia intra arcana mentis, quæ
principaliter his quatuor virtutibus ad
summæ rectitudinis culmen erigitur,
virtutes cætera, quasi quedam cordis
soboles se inuicem pascunt. Nunc igitur
 omnium virtutum naturas expli-
 cemus, & adhæc septē virtutū capi-
 ta, siue principia referamus. In qua
 tractatione ita procedendum erit, vt
 ad hoc primum instrumentum affe-
 quendæ virtutis, quod in eius cog-
 nitione positum est, scribendum, non
 nos laudatores virtutum, quod pro-
 lixū esset, sed tantū expositores exhi-
 beam⁹. In quacunq; aut virtute, qua-
 tuor nō lōgè à more scholastico, p-
 ponēda sunt. i. quid ipsa virt⁹ sit, 2. q̄
 incita-

Gregor. 2.
 mor. c. 27.

incitamenta ad eam quærendam nos moueant. Tertiò, quas illa virtus actiones habeat. Quartò, quo modo erit postulanda. Definitio virtutis erit vtilis ad cognitionem: incitamentum triplex ad meditationem: actio multiplex ad exercitationem, & postulatio ad orationem. Sic in hoc primo instrumento habebimus, non tantum quo virtutem cognoscamus, sed quo ad illam incitemur, & quo à virtutum datore deuotè & humiliter postulemus. Aliquando etiam, si Deus dederit, quàm copiosa seges hic ad mentalem orationem lateat, demonstrabimus, Illud tantum hic animaduertendum est. nos in dispositione virtutum tantillum à Theologorum doctrina recessisse. Nam illi fidei, vt dona quædam & effectus illius, timorem feruilem & purificationem cordis annectunt; nos meditationem, contemplationem, contemptum sæculi. & cordis purificationem attexuimus, quoniam nisi res fidei ruminentur, & considerentur, nec ad timorem ex nostra culpa incitant, nec

nec ad contemptum terrenorum ac
cordis purificationem inuitant. Illi
fiduciam sub fortitudine ponunt, nos
spei eam adiunximus; quoniam ex eo
quòd à Deo summum bonum, scili-
cet vitam æternam, speramus, oriri
videtur, vt in alijs minoribus rebus
confidentes simus. Illi vindicationē,
partem iustitiæ faciunt; nos præter-
misimus; quia non solùm quod bo-
num est, sed quod perfectum, oculis
legentium offerre contendimus,
& licet aliquandò bonum sit, de in-
iuria accepta, non ex affectu iustitiæ,
sed ad proprium malum propulsan-
dum vindictam petere, melius tamen
est, præcipuè in spiritualibus viris
sustinere, ignoscere omninò, & dis-
simulare. Præterea aliquam vnā
virtutem in varias partes distinxi-
mus, & plures, secundum verā The-
ologiam natura distinctas, vt iustiti-
am distributiūam, commutatiūam,
& legalem, in vnā contraximus. Id
nullo modo studio contradicendi
factum est, quin nec in minimis volu-
mus à præstantissimis Theologis dis-
sentire,

sentire; sed quia hic non tam speculationem, quàm opus quærimus, & ad doctrinam sanctè viuendi tradendam, quædam fuerunt, pressius, quædam latius, quædam tantisper immutato ordine declaranda.

DE VIRTUTE
Fidei.

CAPVT III.

FIDES, prima est virtutū Theologicarum, non dignitate, sed infusione, quia intellectum afficit, cuius, actus voluntatis actionem præcedit: & quia fundamentum est reliquarum virtutum ianuaque spiritualium bonorum; nam prius Deo credimus, quàm ipsum amemus, & per legis obseruantiam eius iussis obsequamur. Huic meritò quatuor dona seu affectus adiungimus, nempè meditationem, contemplationem, contemptum sæculi, & cordis puritatem: Nam qui credit, intelligentiam cupit creditum,